



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Desiderius. Dialogvs Vere Pius, & Comprimis Iucundus, De  
Expedita Ad Dei Amorem Via**

**Comalada, Miguel**

**Elvaci, 1685**

Cap. VII. De Amoris Dei officio in eodem altero gradu, & Prosequutio  
eorum, quæ de orandi modo dicere cœperat.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60062](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60062)

*De Amoris DEI Officio in eodem  
altero Gradu, & prosequutio eo-  
rum, quæ de orandi modo  
dicere cæperat.*

## CAPUT VII.

**A**MOR DEI. Deinde ubi pro-  
viribus illum laudare & exal-  
tare studui, animam illi meam, co-  
tamque voluntatem offero, unà cum  
præcipuo quodam proposito meo,  
isto videlicet, quòd ob nullam rem  
mundi ipsum offendere aut molesta-  
re velim, simulque obnixè precor, in  
hac me voluntate servare ac confir-  
mare dignetur, quando sine illo neu-  
tiquam in ea perseverare queam.  
Post, omnis injuriæ & molestiæ,  
quam ipsi intulerim, veniam precor:  
atque etiam, ut nihil præter se cogi-  
tare, intelligere, & amore prosequi  
me sinat, oro. Sed & id obsecro,  
quandoquidem me talem in suum  
servum & amicum, idque in tam cel-  
sa

sa functione admittere dignatus est, ut sanctum humilitatis spiritum mihi præbeat, qui animam meam à cunctis ipsi invisis ac displicentibus, atq; ab omni malo abstrahat & avertat, ne famulatus meus ipsi injuriam & ignominiam adferat, sed potius gratus sit & acceptus. Peto itidem, ut, quibus me scit habere opus, sive quæ mihi necessaria sint, quibusque pro suo honore & beneplacito, & ut ipsi magis placeam, me vult esse præditum, mihi largiatur: idque non aliam ob causam, nisi ut me in se vivere ac mori sinat, nec ut meritus sum, à sua me facie projiciat. Postea etiam pro illis rogo, quos impensius amo, quibusque sive corporaliter, sive spiritualiter me amplius obligatum sentio, nec non pro tota hac domo, imò etiam creaturis omnibus, ut eis gratiam præstet & misericordiam, uti ipsum omnes, quemadmodum par est, cognoscant, ament, venerentur, laudent ac benedicant. Et hæc qui-

dem omnia syncera cordis puritate,  
illi proponere adnitor. **DESID.** Ec-  
quid agis, ut hac cordis puritate illi te  
exhibeas? **AMOR DEI.** Quatenus  
vires sinunt, cor animumque seruo &  
custodio, invigilans cogitationibus  
meis, ingentemque animæ meæ cu-  
ram gero, unaque sensus meos, quan-  
tùm maximè possum, cohibeo & ob-  
seruo, propositam mihi semper ha-  
bens ac retinens simplicitatem, qua  
visa omnia candidè in bonam partem  
interpretatur. Quòd si ab omni metu  
velim esse immunis & securus, apud  
Dominum meum permaneo: cui  
quidem coram adesse, adhærere, &  
colloqui, ab eoque consilia experere,  
præcipuum meum bonum & gaudi-  
um, potissimaque voluptas & conso-  
latio est. Neque unquam pace, quie-  
te, securitate perfruor, neque con-  
tensus esse queo, nisi dum illi adsum.  
Atque hac ex causa mecum ipse con-  
stitui valefacere omnibus, ipsi com-  
morari, ipsi adhærere, nunquam ab

eo

eo recedere, nisi ipse jusserit. DESID.  
 Tamen utile, bonum & necessarium  
 est, nonnunquam lectioni dare ope-  
 ram. AMOR DEI. Imò sanè bonum  
 est quandoque legere, non eo animo,  
 ut doctus & sciolus efficiaris, sed ut  
 DEUM, ejusq; vias possis habere per-  
 spectas, DEUMq; cognoscas & ames.  
 Huc verò non multis mihi opus est  
 codicibus. Hoc unum specto, volo  
 & cupio, ut animæ meæ amorem in  
 DEUM transferam, totumque affe-  
 ctum cordis, omnemque rationem &  
 intelligentiam ipsi adjungam, in  
 ipsumque referam: siquidem illius  
 mihi sufficit amor. Is me cuncta do-  
 cebit, quæ scire me conveniat: atque  
 in ipso eum amandi & non offenden-  
 di itinere, plura mihi secreta ac my-  
 steria pandere potest, quàm vel codi-  
 ces omnes, quos totus habet orbis.  
 Majorem quoque animæ consequor  
 puritatem, timorem, devotionem,  
 reverentiam, compunctionem, for-  
 titudinem sive firmitatem, atque er-

ga carnem severitatem, quando illi  
 adsum, quàm dum lego. Neque ne-  
 scius sum, neuti quàm illum à me ra-  
 tionem exacturum, quantum lege-  
 rim aut studuerim, sed quantum ipsū  
 amaverim. Nec tamen hisce rationi-  
 bus hoc efficere velim, nihil penitus  
 legendum esse, illis præsertim, qui  
 viam Domini, & spiritūs dominium  
 nesciunt, cogitationesque & verba &  
 actus suos discernere non noverunt.  
 His namque admodum necessarium  
 est, ut multo tempore lectioni dent  
 operam, ac spiritūs & mentis discant  
 exercitia. Ut enim grandis est stulti-  
 tia, temeritas & Regis contumelia, si  
 rusticus aliquis, qui Aulae Regiae usus  
 & mores, dicendiq; modum nesciat,  
 coram cunctis Regis Principibus ac  
 Magistratu, cum ipso Rege colloqui  
 velit: Si namque inter dicendum  
 usitatis, agrestibus ac stolidis utatur  
 verbis, non potest non magno patere  
 despectui ac ignominia, adeo ut Rex  
 illum foras expelli jubeat, præstareq;

nun-

nunquam eum Regem accessisse. Itidem & in spiritualibus rebus sese habet. Illis autem, qui jam legendo & audiendo DEI ac rerum divinarum sunt notitiam adepti, multò & utilior & præclarior est orandi, quàm legendi exercitatio, ut qui dicendi jam periti sint, ususque & mores nôrint, quibus in spiritali curia utendum sit. Porro ubi jam Domino meo coram assisto, multam mihi curam adhibeo, ne caput, oculos & tergum huc illucque volvam. Non enim insigni Majestatis illius contumeliâ vacat, si quis, dum illi colloquitur, aspectum suum aliò conferat. DESID. Apertius id mihi dici velim, namque non satis hoc assequor. AMOR DEI. Quando mihi sermo est cum Domino meo, si tum cogitationes, rationem & intellectum meum aliò transferam & adhibeam, dorsum illi verto, non faciem. Eam ob rem cum persuasum habeam, perpetim eum me aspicere, nequam suos à me obtutus avertere;

attendereque, quid dicam, quâ possum reverentiâ, devotione, amore & attentione illi assisto. Denique laudes, gratesq; illi ago pro cunctis beneficiis mihi & creaturis cæteris ab illo præstitis, eaque sæpius ad memoriam revoco, illiq; recenseo, certus nimirum, nolle eum, ut ipsi ingratus, & donorum ejus immemor sim.

*De tertio Amoris Gradu.*

CAPUT VIII.

**A**MOR DEI. Tametsi jam primum amoris gradum, nempe ut Dominum meum diligam, id est, ipsum non offendam, itemque aliorum, ut cuncta illius jussa exequar, profecutus sum, non tamen his contentus sum, eò quòd meus erga illum amor tam ingens est, ut insuper tertium adhibuerim gradum, eum scilicet, ut cuncta illa efficiam, quæ illi placere & accepta esse noverim, vel cogitare